DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
INSANIA;

QUAM,

EX AUCTORITATE ORNATI VIRI,

D. GEORGII BAIRD,

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et

Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS FISHER,

Hibernus,

SOCIETATIS REGIÆ MEDICÆ EDINENSIS SOCIUS.

Morbi igitur ab animi pathemate pendentes, blande ac leniter tractandi sunt: a nimia remediorum copia et vehementia quam maxime abstinendum.

Baglivi, Praxeos Medicæ Lib. 1. cap. xiv.

Die 1. *mensis* VIII, *(Kal. Aug.) horâ locoque solitis.*

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXII.

PATRI SUO CARISSIMO

JOSEPHO FISHER,

QUI,

CUM AUCTORITATE PATERNA,

INDULGENTIAM ET BENIGNITATEM

SEMPER COMMISCUIT,

HOC PIGNUS AMORIS,

DICAT

GRATUS FILIUS

ET

AUCTOR.

JACOBO WHITE,

APUD VICUM "*BALLITORE*,"

IN COMITATU KILDARIENSI HIBERNICO,

QUEM,

SUMMA MODESTIA ET SUAVITAS MORUM,

HAUD SECUS AC

INGENIUM ET ERUDITIO PROFUNDA,

MAXIME EXORNANT;

SUB CUJUS AUSPICIIS PRIMO SCIENTIÆ DESIDERIO

PERCULSUS,

HAS STUDIORUM PRIMITIAS,

VENERANTIA ET GRATO ANIMO

DICAT

AUCTOR.

SAMUELI TUKE,

APUD URBEM EBORACUM,

VIRO BENEVOLO AC ORNATO,

HOC OPUSCULUM,

SUMMA OBSERVANTIA,

OFFERT

AMICUS

AUCTOR.

This, of all maladies that Man infest,
Claims most compassion, and receives the least.

COWPER.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

INSANIA.

Auctore Thoma Fisher.

PROŒMIUM.

Morbum multa involutum obscuritate qualis est Insania, quoad naturam, causas et curationem, in dissertationem inauguralem proferre, forsitan temerarium videri potest; quippe cum auctor suam de hoc malo imperitiam profiteatur, neque scientiam quæ ad id attinet ampliare posse speret. Hoc tamen saltem auctori dicere liceat, se hujus

quam cujuslibet alius morbi disquisitione gravius affici, et idcirco, verisimile esse, se accuratius de hoc morbo disserturum quam de istis quos haud æquo studio indagaverat.

DEFINITIO, &c.

INSANIA a CULLEN * dicitur adesse "quando rerum relationes omnino falsæ mente concipiuntur, ita ut hominis vel pathemata vel actiones præter rationem excitentur." A primis sæculis in duas divisiones partita est, nempe Melancholia et Mania, quæ "genera" nominantur a Nosologo celeberrimo supra citato, quamvis a CRICHTON, PARR, YOUNG, et PINEL "species" haud immerito existimantur; cum alia in aliam sæpissime transeat; atque huic opinioni favere visus fuit GREGORY noster multum desideratus, qui, in prælectionibus suis eximiis de Medicina Practica, de Melancholia et Mania simul tractare solebat. Et profecto CULLEN ipse postea notatur sic scri-

* Vide Nosologiam CULLENI.

bere in libro suo cui nomen, "First Lines," 1536. "Insanity may, perhaps, be properly considered as a genus comprehending several different species."

Melancholia ab eodem auctore sic definitur: "Insania partialis sine Dyspepsia," et Mania: "Insania universalis." Maniam in tres species dividit, nempe: "Mania mentalis—omnino a pathemate mentis: Mania corporea—a vitio corporis evidente: et Mania obscura—prægresso nullo vel pathemate mentis, vel vitio corporis evidente."

"Nullus tamen existit limes accuratus," inquit Gregory * "inter sanam mentem et vesaniam. Omnis præter solitum hilaritas ad insaniam vergit, et mœstus et meticulosus animus ad melancholiam appropinquat."

Hic paucas observationes proponere libet de principiis a quibus phænomena mentis sanæ pendent, atque ab his principiis phænomena mentis insanæ explicare tentabo.

Animi ipsius existentia solummodo ex vario-

---

* Conspectus Medicinæ Theoreticæ, ccxcii.

rum ejus affectuum vel conditionum conscientia a nobis cognosci potest. Hi affectus animi cum *externi* tum *interni* sunt; et affectus interni, in *Conditiones Intellectûs* et *Motus Animi*, dividi possunt. *Conditiones Intellectûs* ordinari possunt in *Conceptiones* rerum, et *sensum relationum* inter res subsistentium. *Motus Animi* sunt, spes, timor, lætitia, luctus, &c. Facultates quæ Memoria, Imaginatio, Abstractio, &c. nominantur, conjunctiones modo sunt istius facultatis, per quam formantur *conceptiones*, una cum ea per quam *relationes* percipiuntur.

Hæ omnes animi affectiones, quanquam revera inter se diversæ, variis in modis commisceri possunt. Atque vel conjunctæ, vel simplices, omnia phænomena quibus mens humana exhibetur, efficiunt.

Hæ supra-dictæ animi conditiones certis legibus quas philosophi *associatarum cogitationum leges* vocant, subjectæ sunt. Hæ leges sunt: 1. *Similitudo,*—Quæ animo unam rem perpendenti aliam similem ostendit, sic mortis idea sæpe cum somni notione consociatur. 2. *Contrarietas,* —Quæ ex uno cogitato aliud omnino contrarium

educit, hoc modo virtutem vitio opponimus, et timidum agnum impavido leoni. 3. *Prior proximitas in serie cogitatorum,*—Qua alia animi conditio aliam antea sibi contemporaneam, vel fere contemporaneam inducit; ut cum perceptio vel conceptio libri, quem amicum legentem audiverimus, amicum ipsum in memoriam profert.

Hæ leges primariæ cogitationum associatarum, multum tamen afficiuntur a quibusdam rebus, propter quas una cogitatio vel conditio animi præ cæteris inducitur. In his rebus numerentur: 1. Vis affectionis primariæ; 2. Diversitates in constitutione hominum; 3. Conditio corporis; 4. Consuetudo quæ certis occupationibus vel aliis rebus homini propriis inducitur *.

1. *Vis affectionis primariæ.*—Quisquis motus animi affectionis contemporaneæ et consentientis vim et durationem magnopere auget. Hoc modo solum explicari potest imperium Voluntatis in successionem cogitatorum. Hæc enim cogitata suis propriis legibus subjecta, Voluntas, per se, af-

* Vide Doctoris Brown, "Physiology of the Mind."

ficere non potest. Quoniam vero constat Voluntas in motu Desiderii, una cum expectatione statim obtinendi quod desideratur, motus supra-dictus, vim et durationem affectionum desideratarum augendo, efficiet ut hæ crebro recursent. Imperium vero Voluntatis in cogitata semper minuitur, ut ullus alius motus, timor, scilicet, vel lætitia mentem corripit, et in hoc Voluntatis defectu consistit Insania. Nam quam primum Voluntas de suo proprio imperio dejecta est, atque conceptiones, præter solitum vividæ fiunt, hæ conceptiones quarum præsentia non a Voluntate pendet, rerum externarum perceptiones esse creduntur. Hujus exemplum præbent somnia, quæ in multis rebus Insaniæ se assimilant. Et forsitan, in mente insana haud minus quam in somno, vis major conceptionum partim ab organorum sensûs torpore originem trahit.

2. *Diversitates in hominum constitutione.*—Varietas in cogitationum successione isthinc pendens satis constat. " Homines constitutione sanguinea habent animum plerumque lætum et hilarem, aliquando levem. Temperamento me-

lancholico præditi habent animum gravem, sæpe tristem, meditabundum, haud facile commovendum, quo semel commotus est affectus tenacissimum, in negotiis indefessum, in studiis acutissimum, in amore ferventissimum, fidelissimum, ad poësin sæpe aptum, in melancholiam et insaniam aliquando proclivem *". "The facility with which ideas are associated in the mind," observat DUGALD STEWART †, "is very different in different individuals."—"I am inclined, too, to think," dicit idem auctor, "that, in the other sex, ideas are more easily associated than in the minds of men."

3. *Conditio corporis.*—Operationes animi corporis conditionibus maxime affici notissimum est. Pauci sunt qui non animadverterunt mutationes et vicissitudines in successione cogitationum, ex adversa vel prospera valetudine, ex statu ventriculi, ex usu potus generosi, vel opii et aliorum

* Conspect. Med. Theor. DCCCCXXII. et DCCCCXXIV.

† Philosophy of the Human Mind, vol. i.

narcoticorum, necnon ex cœli temperie. Huic insigni corporis in mentem Imperio, insania a causis corporeis originem ducens referenda est.

4. *Consuetudo certis occupationibus, &c. inducta.*—Connexio inter tenorem cogitationis et occupationem vel vitæ genus, haud minus clare constat; et huic connexioni referenda est major aut minor proclivitas ad insaniam in hominibus quasdam occupationes exercentibus.

SYMPTOMATA INSANIÆ ANTECEDENTIA.

1. *Symptomata quæ Maniæ præcedunt.*—Hilaritas maxima, series cogitatorum rapidissima, nimia loquacitas, tenacitas opinionis intemperata, et contradictionis et repræhensionis impatientia, animus maxime irritabilis et mutabilis; suspicio paulatim vergens ad odium amicorum et consanguineorum, mos se gerendi ineptissimus, ebrietatis effectibus similis*. Æger vel est insomnis,

* Haslam, Obs. on Madness and Melancholy, p. 45.

vel si quidem somnus accedat, perturbatione interrumpitur. Interdum est pulsus irregularitas, cordis atque temporum palpitatio, cum sensu oppressionis in præcordiis, necnon doloris in capite.

2. *Symptomata quæ Melancholiæ præcedunt.*—Animi dejectio, et proclivitas magna ad cogitationes mœstissimas; horroris manifestatio propter timorem insaniæ accedentis, vel propter delictum quod æger se commisisse putet, amor solitudinis, et interdum sibi necis inferendæ tentamina. Ii qui proni sunt ad melancholiam insomniis horrificis quoque turbantur; oculi hebetes ferocesque sunt, nonnunquam diu in idem objectum intenti.

INSANIÆ CONFIRMATÆ SYMPTOMATA.

Vultus nescio quid ferocitatis exprimit. Melancholici plerumque emacescere solent, nihilominus interdum pinguescunt. Oculi micantes protrudunt, et assidue volvuntur, aliquando cavi

non conniventes *, aliquando rubri, iride contracta. In quibusdam insanis, morbo provectiore, Doctor HASLAM relaxationem insignem tegumentorum capitis observavit †. In melancholia, color cutis flava aut sublivida est. Cibi appetentia in utraque insaniæ forma, interdum est immodica, interdum deficit. Aliquando æger impune dies viginti sine cibo subsistit. Doctor BANG ‡ narrat, se novisse insanum "qui septem diebus prorsus nil ingessit, eodemque tempore nec dormivit, nec urinam alvumve exoneravit." Aliquando, e contrario, insani maxime voraces sunt, et nequaquam in victu seligendo fastidiosi. Alvus plerumque astringitur, et flatu impletur; dejectionesque sunt albæ, parvæ, et duræ. Feruntur sæpe a ventriculo ructus odoris fœtidi; his nonnunquam accedunt alia dyspepsiæ symptomata, ut ventriculi dolores, cardialgia, et materiæ biliosæ rejectio. De siti raro queruntur, os vero et fauces sæpe aridæ et siccæ apparent.

In morbis mentis pulsui parum fidendum est;

---

* ARETÆUS, Lib. i. Cap. 5. † Op. citat. p. 82.

‡ Praxis Medica, p. 393.

in melancholia tamen, pulsus plerumque invalidus, parvus et frequens est, ac respiratio tarda. Caput, occipitium præcipue, dolore sæpe torquetur.

Ex sensibus externis, visus, auditus atque tactus sæpissime mutantur: hi aliquando nimis acuti, aliquando obtusi sunt, et aliquando fallunt. Visus sæpe *muscis volitantibus* vel scintillis molestatur. Aliqui *tinnitu aurium* afficiuntur. Interdum æger neque calore neque frigore affici videtur; sed hic torpor, dignum est notatu, non constans est, et forsitan, *genere nervoso* multum excitato, solum observatur, pedes enim frigidos insanorum gangræna putrescere cognitum est *. In quibusdam corporis conditionibus, æger quoque fere nullas impressiones externas sentit, vix a medicamentis efficacissimis afficitur, ac ne vix quidem contagioni obnoxius est. Observatum est a Doctore Lorry †, " ut insanis qui ante insaniam morbum venereum contraxerant, dupla aut tripla hydrargyri dosis adhibenda sit in medelam." Insania aliquando vel locum alius morbi usurpare videtur,

---

* Haslam, Op. cit. p. 84. † De Melancholia, vol. i. p. 168.

cujus HEBERDEN celeberrimus exempla sequentia dedit: "In uno a febre gravi assurgente, languor virium summus erat, et valetudo admodum infirma; protinus autem ut insania accessit, valetudo et vires integræ restituebantur. Alium phthisi pulmonis implicitum, cum jam fere ad ultima ventum esset, insania occupavit, quæ illico fugavit phthisin, atque ægrum, præter omnium spem, ex mortis faucibus eripuit *."

Maximam vim musculosam non raro insani exhibent; hæc vero, haud secus ac hebetudo sensus frigoris aut caloris, non in omnibus conditionibus *generis nervosi* observatur, aliquando enim stupor et languor ægrum opprimunt. Vigilia ad mirum modum insaniæ comitem se præbere solet; interdum per aliquos menses remanet, et quando denique somnus infelicem ægrum visitat, sæpe imaginibus diris terret, et parum refectionis ei impertitur.

Menstrua in insania non interrumpuntur, nisi profecto cessatio hujus functionis ipsa causa

* Commentarii de Morborum Historia et Curatione, p. 231 et 232.

morbi sit; paroxysmi vero maniaci singulis periodis menstrualibus sæpe renovantur aut augentur *.

Urina interdum parca est, et plerumque rubra; interdum vero est limpida et abundat. Cutis sæpe arida est, et si forte a balneo aut alias madefacta sit, citissime humiditatem amittit. Aliquando tamen sudore glutinoso, circum caput, collum atque præcipue pectus aspergitur. Pedes sæpe frigent per dies vel etiam septimanas, dum aliæ corporis partes naturalem vel præternaturalem calorem habent.

Perspiratio insanorum quendam odorem fœtidum sæpe emittit, qui vestibus aliisque rebus vicinis se communicat. Est interdum secretio præternaturalis salivæ lacteæ et muci in ore et faucibus, quæ difficile sputantur. Plerumque cessatio est mucosæ a naribus secretionis. Desiderium magnum tabaci fere universale in insanis videtur, etiam in iis qui antea id non usitaverant.

Insania interdum conjungitur cum epilepsia. Morbi qui insanos sæpissime interimunt, sunt,

---

* Fodere, Traité du Delire, vol. i. p. 518.

Phthisis pulmonalis, Hydropis species variæ, Atrophia, et Apoplexia. Hi morbi, haud secus ac infausta fatuitas, secundum PINELII opinionem, ab usu inordinato remediorum debilitantium, sæpe inducuntur.

CAUSÆ.

MORBORUM causæ plerumque distinguuntur in Proximam et Remotas; remotæ iterum in Prædisponentes et Occasionales vel Excitantes.

CAUSÆ REMOTÆ.

α Prædisponentes.

PROCLIVITAS ad insaniam sæpe hæreditaria est, quod in parte forsitan a diathesi pendeat scrofulosa, quæ insanis nonnunquam existit. Asserit Doctor BURTON, in opere suo cui nomen est "Anatomy of Melancholy," prolem patrum qui ad ebrietatem proni sunt vel ætate provecti, sæpe insanam fieri.

Proclivitas ad insaniam præcipue inter vicesimum et quinquagesimum ætatis annum existit: duo saltem ex tribus quos Insania efficit, per istud temporis spatium corripiuntur. Raro accidit quinquaginta annis exactis, et secundum clarissimum Doctorem PINEL, neque Melancholia unquam in utroque sexu, neque Mania nisi in puellis, ante pubertatem erumpit. HEBERDEN* sagacissimus semel tantum vidit insanum qui decimum sextum annum nondum compleverat. Plurima ex exemplis mentis a scriptoribus enarratis, alienatæ in impuberibus, fatuitati potius quam insaniæ referri debent.

Scriptorum recentiorum pars maxima sentit insaniam sæpius in fœminis quam in viris occurrere. Ratio numeri ægrorum utriusque sexus, multum tamen differt in variis Nosocomiis Lunaticis. Testantur et ARETÆUS, et CÆLIUS AURELIANUS, majorem in eorum temporibus fuisse proclivitatem in viris quum fœminis.

Connectionem existere inter insaniam et capillos nigros, scriptorum aliquorum est sententia, quæ

---

* Commentarii de morborum Historia et curatione, p. 230.

confirmatur a Doctore FODERE clarissimo, qui hujusmodi observat: "Le blond et le châtain sont assez dominans en Suisse et le long du Rhin; et pourtant il y avoit, en 1805, à l'Hôpital des Alienés près de Berne, 60 malades, chacun dans une cellule separée, presque tous avec les cheveux et les yeux noirs; et les fous qui sont à l'hôpital de Strasbourg, sont presque tous aussi de cette couleur *." Homines temperamento Melancholico præditi, ut indicat vocabulum, ad Melancholiam prædisponuntur. Observatum est supra, proclivitatem ad Insaniam atque Scrofulam in iisdem hominibus sæpe inveniri.

Insaniæ accessioni favere dicuntur regiones illæ, in quibus caloris atque frigoris sæpe alternatio fit, et cœlum plerumque nubibus obscuratur.

Aliæ occupationes præ aliis prædisponere ad Insaniam dicuntur; sed forsitan transitio subita a plena occupatione ad otium perfectum, magis favet hujùs morbi accessioni quam assiduitas in ulla occupatione. Vulgo tamen creditur, mathematicos perraro hoc malo opprimi.

---

* Traité du Delire, vol. i. p. 131.

Crebrior est Insania apud divites quam pauperes, et in regionibus excultis quam barbaris.

Proclivitatem ad insaniam inducere potest durities cerebri præternaturalis, vel quodcunque id organum comprimat vel irritet, ut tumores aut hydatides, membranarum ejus induratio sive incrassatio, vel cranii tabulæ internæ exostoses. Injuria capiti illata, concussione vel inflammatione cerebri, aut effusione sanguinis seu seri hoc modo excitata, insaniæ causa quoque nonnunquam fit. Insania aliquando sequela est morborum qui cerebrum præcipue afficiunt, ut apoplexiæ, paralysëos, epilepsiæ, vel sæpius phrenitidis aut febris.

β *Causæ Occasionales, vel Excitantes.*

Hæ vel in animo vel in corpore sitæ sint, et hinc in causas mentales et corporeas dividuntur. Priores crebriores sunt, quanquam Insania sæpissime a conjunctis utriusque speciei causis originem ducit.

a. Causæ Mentales vel Morales.

Intentio animi per longum tempus, in eandem rem; anxietas vel afflictio immodica; vis magna imaginationis; animi transitio frequens et rapida, ab alia ad aliam rem; passio quævis vel motus animi subitus aut violentus, præsertim lætitia, luctus, timor et ira; religionis notiones falsæ, nimis deprimendo vel excitando animum, insaniam inducere possint;—tales notiones vero sæpe effectum potius quam causam mentis alienatæ constituunt.

b. Causæ Corporeæ vel Physicæ.

Exercitatio immodica, præsertim in aëre sicco et calido, evacuationes profusæ, Venus nimis culta, nutrimenti defectus, conditio morbida cujusquam visceris abdominalis, imprimis ventriculi, jecinoris, lienis et glandularum mesentericarum, vermes in intestinis inhærentes, intemperantia in diæta, et potus spirituosi, aut venenorum narcoticorum vel hydrargyri usus nimius, causæ cor-

poreæ excitantes sunt. Insania nonnunquam in fœminis excitatur a quibusdam organorum uterinorum conditionibus; in quibusdam, præcipue proclivitate hæreditaria præditis, pendente graviditate vel parturitione: oriri quoque potest a retentione seu suppressione cujuslibet evacuationis solitæ, ut lactis, lochiorum, et fluxuum menstruorum et hæmorrhoidum, ab ulcerum vel setaceorum siccatione, et eruptionum cuticularium repulsione subita. Interdum induci videtur a podagræ, hydropis vel erysipelatis metastasi *; item a syphilide, præcipue si æger post hydrargyri usum, ad frigus se exposuerit; et ab irritationibus corporeis variis, ea nimirum a dentibus cariosis creata.

CAUSA PROXIMA.

ALIENATIONIS mentis causa proxima, vel "illa, quæ præsens morbum facit, sublata tollit, mutata mutat;" adhuc est, et uti censemus, semper erit, prorsus ignota. Etiam cadaverum morbidorum sectio, quæ ad illustrandos alios morbos

---

* SYDENHAM, Opera Universa, p. 467.

tantum contulit, haud ullam lucem hic præbuit; in nonnullis enim insanorum cadaveribus, ne vitium a subtilissimo quidem anatomico detegi possit, et præterea, ut iterum GREGORY illustrem citem, "facta cerebri vel partis ejus cujusvis læsione, tumore, osse in mucronem crescente et irritante, &c. nemo prædixerit quidnam mali talis læsio factura sit, epilepsiam, apoplexiam, hemiplegiam, stuporem, melancholiam, furorem, dolorem capitis, aut nil præter solitum *." Satis igitur de causa proxima.

PROGNOSIS.

MANIACI sæpius quam Melancholici sanantur. Remissiones vel intermissiones in paroxysmis maniacis faustæ sunt, cum cessant et rursus apparent paulatim, et non nisi post longam intercapedinem; e contrario, cessatio et repetitio subita paroxysmorum, morbum protractum indicat.

Obesitas modica, functionum corporis conditio

---

* Conspectus Medicinæ Theoreticæ, CCCI.

naturalis restituta, reditus cujuslibet evacuationis suppressæ, sive fluxus menstruorum vel hæmorrhoidum, sive lachrymarum, salivæ, aut e naribus muci secretionis, sive eruptionis cuticularis vel ullius morbi prioris; item diarrhœa sponte adveniens, hæc omnia fausta sunt, si iis accedant reditus consentaneus affectionum, morum, et indolis ægri, ut lætæ scilicet amicorum recognitionis, vel accurationis solitæ in legendo vel scribendo, aut si æger falsa sua judicia repræhenderet, sed alias morbum pertinacem potius indicant.

Insania una cum epilepsia, aut in fatuitatem transiens, fere semper insanabilis est.

Ætas vitæ quæ maxime sanationi favet, est inter annum vicesimum et tricesimum; sed sanatio præcipue pendet a morbi novitate, (dummodo ratio curandi idonea sit), quod per exempla sequentia liceat ostendere.

Ex 47 ægris in "The Retreat *," admissis non supra 12 menses insanientibus, 40 sanati fuerunt.

Ex 48, non supra annos duos, 14 sanati fuerunt; et

* Nosocomium Lunaticorum prope Eboracum situm.

Ex 79, supra annos duos, plurimis a 15 ad 20 annos, 14 sanati fuerunt.

Fœminæ sanabiliores sunt quam viri.

Homines temperamento sanguineo convalescere facillime dicuntur.

Pauperes facilius sanantur quam divites, præsertim cum in his superbia dominetur.

Insania a causis corporeis, modo non sit vitium cerebri organicum, sanatu facilior est, quam illa quæ causis mentalibus excitatur.

Cum causæ mentales timore excepto subito et statim insaniam induxerint, morbus facilior est curatu, quam cum paulatim et per longum tempus vim acquisiverint.

Mania a parturitione et ebrietate maxime sanabilis est; iteratio vero mali timenda est.

Convalescentia lenta morbo recidivo inimica est.

Reiteratio maxime timenda est; 1. Cum hæreditaria sit proclivitas ad morbum; 2. Cum ratio vitæ sit levis et inconstans, aut proclivitas ad melancholiam locum teneat; 3. Cum morbus cessaverit sponte sua vel sine causa manifesta; 4. Cum

halitus oris et perspiratio adhuc odorem fœtidum emittant; 5. Cum cephalalgia vel vertigo restet.

CURATIO.

INSANIÆ Curatio naturaliter se partitur in *mentalem* sive *moralem*, et *corpoream* sive *medicam*.

1. CURATIO MENTALIS, SIVE MORALIS.

CONSEQUITUR a supradictis de natura mentis alienatæ, indicationem fore primariam in mentali hujus morbi curatione, series cogitationum Voluntati subjicere. Hoc fieri potest:

1. Abstrahendo ab ægro quodcunque ad excitandum cogitata vel animi affectiones Voluntati haudquaquam submissas pertineat. Hinc magnopere valet ægrum dimovere a domo et amicis suis, et ab omnibus rebus quæ cum conceptionibus ejus errantibus associari possunt. Hinc explicari potest quam utile est insanis itinera facere.

2. Imperium solitum Voluntatis in cogitatorum successionem restitui potest, excitando motum vel passionem ab isto jam in animo dominante diversum. Excitatio timoris dicitur multum valere ad hoc consilium efficiendum, sed hanc passionem certe parce et caute excitare oportet. Neque ad ictus neque catenas unquam recurrendum est; et tractandus est infelix æger, vel in violentissimis ejus paroxysmis, summa lenitate quæ cum sua et aliena salute constat. Methodus dura tractationis animum exasperat, et proinde violentiam morbi auget. "It is, therefore, wise to excite"—(observat libri cui nomen est, "Description of the Retreat," auctor benevolus ac sagax)—"It is, therefore, wise to excite as much as possible the operation of superior motives; and fear ought only to be induced, when a *necessary* object cannot otherwise be obtained." Hic idem auctor effectui deprimenti timoris immodice excitati, imputat numerum minorem sanatorum qui Melancholia quam Mania affecti sunt. In "The Retreat," ubi lenitas constanter exercetur, numerus sanatus in utraque Insaniæ forma parum inæqualis est. Tribuendum est quoque curationis generi

in illo Nosocomio instituto, quod illic Mania ferox raro occurrit.

3. Studium existimationis, apud insanos pollere magis videtur quam primo aspectu putetur, et idcirco hic affectus multum prodesse potest in coërcendo illas actiones quæ a defectu Voluntatis imperii in cogitationes oriuntur.

4. Sedula occupatio, præsertim cum exercitatione corporis conjuncta, in Insania curanda plurimum valet. Oblectamenta varia ad animum occupandum seligenda sunt. In librorum selectione, de iis qui imaginationem excitent, vel qui connexionem cum falsis ægri notionibus habeant, cavere oportet. Opera mathematica, vel quælibet alia, quæ conferunt ad attentionem eliciendam, et vim ratiocinandi exercendam, sæpe prosunt.

5. Inutile vel etiam nocivum est conamen demonstrandi insanis suarum notionum errorem, siquidem hæ falsæ opiniones non a ratiocinatione falsa, sed a conceptionibus vi morbida in animum sese imprimentibus, pendent. Ubi ratiocinatio efficax fuisse videatur, verisimile est ægrum jam fere convalescere. Sæpe tamen utile est cum insanis colloquium inire de rebus, quas recte intelli-

gunt. Hoc maxime prodest iis qui aberrationis suæ conscii esse videntur, ut ad errores suos obliviscendos, et fiduciam in judicio suo recuperandam, quod multi interest in talibus curandis, alliciantur.

6. Religio, fons illa inexhausta consolationis, instrumentum illud divinum tam efficax in proclivitatibus malis cohibendis et effrænatis passionibus nostris domandis, cum animo ægroti opportune sit oblata, plurimum ad insaniæ curationem pollet. Hoc lubenter agnoscit Cowper, amabilis sed dolendus poëta, in his versibus:

"No wounds like those a wounded spirit feels,
No cure for such, till God who makes them, heals;
And thou, sad sufferer under nameless ill,
That yields not to the touch of human skill,
Improve the kind occasion, understand
A Father's frown, and kiss His chastening hand *."

"Many patients" (inquit Samuel Tuke in æstimabili libro suo jam citato),—"Many patients attend the religious meetings of the Society of

* Cowper's Retirement.

Friends held in the city, and most of them are assembled on a First Day afternoon, at which time the superintendant reads to them several chapters in the Bible. A profound silence generally ensues, during which, as well as the time of reading, it is very gratifying to observe their orderly conduct, and the degree in which those who are most disposed to action, restrain their different propensities."

7. Coërcitio corporea nonnunquam necessaria est in cohibenda maniacorum violentia, et aliquando multum prodest eos in loco obscuro secludere. Cum æger consilium indicat sibi aut aliis nocendi, utendum est instrumento quod vocatur Anglice "strait-waistcoat," vel manicis per quas manus ejus sine injuria reprimantur.

In nosocomio lunatico bene ordinato, exempla admodum pauca occurrunt, ubi coercitione magna opus est. Testatur Samuel Tuke, quod per unum annum, circiter sexaginta quatuor ægris in "The Retreat" habitantibus, ne quidem simul duos insanos secludere opus esset, et per eundem annum, quatuor soli in "the strait-waistcoat" vel per fascias simul coerciti essent. "No instance,"

addit ille, "has occurred of any serious injury being done by a patient to any of the attendants, and at no period has there been manifested a general spirit of dissatisfaction, or a tendency to revolt."

En tropæum insigne humanitatis! en exemplum imitatione dignum, quod omnibus qui præsunt hominibus se præbeat! Siquidem illi humani generis abjectissimi, orbati ratione, quæ hominem a pecude maxime distinguit, clementiæ et lenitati resistere non potuerint; quanto magis est existimandum homines ratione præditos et religionis capaces, mitibus consiliis regi posse. Oportet sane ad exitum talis incepti felicem, imperantibus ipsis eadem sit mens quæ bonos illos insanorum custodes animat, scilicet, ut omni sui proprii lucri aut commodi ratione semota, imperium uti sanctum officium illis confisum tantummodo haberent, atque hoc solum prospicerent quomodo subditorum felicitas optime promoveatur. Tunc equidem videnda esset major corrigendi quam puniendi solicitudo, atque ille furor impius belli, (humani generis flagellum et opprobrium), vinc-

tus ahenis nodis, ne per orbem terrarum plus stragis, incendii, et devastationis dispergeret.

2. *Curatio Corporea seu Medica.*

Missio sanguinis, vomitoria, balnea calida et frigida, variaque alia remedia, vicissim in hoc morbo commendata et adhibita sunt. Haud vero insanis ullum remedium specificum est, et medicamenta raro iis danda sunt, nisi quando valetudo corporea manifeste indicat. Perbrevissime igitur de remediis præcipuis in hoc morbo usitatis, tractabo.

Cathartica.—Quandoquidem alvus insanorum plerumque astringitur, medicamenta hujus generis sæpe indicantur: sales neutri et præcipue tartras potassæ maxime commendati sunt; ubi vero morbum comitatur mensium vel hæmorrhoidum obstructio, aloetica administranda sunt.

Missio sanguinis.—Cum determinatio sanguinis præter solitum versus caput apparet, sanguinis evacuatio topica utiliter adhiberi potest; usus

vero sine discrimine hujus et aliorum remediorum evacuantium, multum nocuit in insania. "Je suis loin de prononcer," dicit Doctor PINEL, "une exclusion générale de la saignée pour les aliénés; mais je crois que les cas de son usage judicieux sont excessivement rares *."

Balnea.—Quod ad utilitatem balnei calidi in melancholia attinet; omnes fere scriptores de hac re concordes esse videntur; quidam id commendant in ultimo maniæ quoque gradu, præsertim in iis exemplis quæ ex eruptionibus cuticularibus repulsis oriuntur. Magna sententiarum diversitas de usu balnei frigidi existit; dicitur a Doctore HASLAM in ægris plethoricis paralysin induxisse. Quod vocatur Anglice "The shower-bath" feliciter adhibitum est ut remedium morale; interdum cum balneo calido conjungitur. Quidam ex scriptoribus Gallicis laudant quod lingua sua "*douche*" vocatur, quæ in aqua ex vase pleno rivo defluente, consistit †.

* Traité sur l'Alienation mentale, edit. 2d. p. 322.

† Vide FODERE, Traité du Delire, vol. ii. p. 329.

Opium aliquando in excitatione generis nervosi, magnis dosibus adhibetur, ad somnum inducendum. Contraindicatur ab ullis symptomatibus, sive plethoram capitis sive inflammationem designantibus. Efficaciam ejus in ægris inquietis componendis, plurimi scriptores testantur.

Digitalis quoque a nonnullis laudatur, propter illius effectum sedativum ; quippe multis incommodis quæ ex opii usu eveniunt, immunis esse dicitur. Medicamento vero tam potenti, haud sine summa cautela uti oportet.

Sella rotans qua insedit æger et circumagitur qualibet velocitate postulata, imprimis a Doctore Cox * proposita, multum commendata est a scriptoribus nonnullis, præsertim Doctore HALLARAN Corcagiensi, a quo multum adhibita fuit. Maxime utilis esse dicitur in evacuationibus alvinis procurandis, cum intestina solitis remediis catharticis non cedunt. Magnopere quoque prodest, si fautoribus credamus, ad somnum inducendum, aliis remediis non valentibus, item in animi

---

* Practical Observations on Insanity, p. 102.

pertinacia domanda. Contraindicatur in plethoricis juvenilis ætatis, vel ineunte morbo.

Cinchona et arsenicum, in formis intermittentibus insaniæ, commendata sunt.

Cibum insanorum nutrientem et facilem concoctu esse oportet. Liquores generosi rigide prohiberi debent. Curandum est ut vestitus calidus sit; nihilominus exercitationem ad alendum calorem, æque ac ad promovendam sanitatem, nunquam negligere fas est. Paralytici ægri, vestitu calidiore et diæta magis nutriente quam aliis opus est, uti debent.

FINIS.